



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De verbis similiter cade[n]tibus, & diminutiuis. Cap. IX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

daſter dicat Chriſtum ſereniſſimum, quia rex, quia eo nomine reges appellatur; deindè, nè ab vlla re turpi proficiantur; vt ſi quis Deum patrem, carnificem Chriſti nominet; iuſſit quidem, vt propter peccata hominum moreretur, vt illa morte, diuina iuſtitia eſſet ſatiſfactum, & cali ianua aperiretur fidelibus, non idè tamen appellari debuit carnifex. Atque, vt paucis dicã, translationes faciles, à rebus pulchris deſumptæ, & iudicio, quod ſuccum prudentiæ ſapientes homines appellarunt, adhibito, illuminant orationem. quibus trãſlationibus ſanctiſſimorum patrum libri abundant, præſertim Græcorum, qui in metaphoris & ſimilitudinibus excogitandis, mirabiliter excelluerunt. Differt autem metaphora à ſimilitudine hoc tantum, quòd metaphora eſt breuior, & idem exprimit ſine coniunctione, vt, Diabolus eſt leo, metaphora eſt: ſimilitudo, Tanquam leo rugiens. At animaduertendum eſt, nè clerici frequētibus verbis translatis frigidam efficiant orationem; & vtentes illis, non veluti condimentis, ſed tanquam cibus, ſatietaem, aut potiùs nauſeam, pariant. quod quibuſdam contigiffe, noſtra tempeſtate, prudentes viri obſeruauerunt.

De verbis ſimiliter cadētibus, & diminutiuis.

Cap. IX.

**V**ERBA ſimiliter cadentia, iucundam interdum efficiunt orationem; ſed raro clericis uſurpanda ſunt, nè in affectationis ſuſpicionem incidant. Pulchrum huius figuræ exemplum eſt apud B. Bernardum: Mundus clamat, deficiam; caro clamat, inficiam; demon clamat, decipiam; Chriſtus clamat, reficiam. Interdum in diminutiuis ad augendam orationem, interdum ad

minuen-

minuendam, inest quaedam vis; ut, Quid est, quod literulas quasdam tanti faciamus, ut alij nos esse antepone-dos putemus? & quid homunculi indignamur? Homonyma, quae equiuoca nuncupantur, sophistarum sunt, & Christiano oratori sunt fugienda, cum obscuritatis et errorum mater sit ambiguitas. Synonyma, hoc est, idem significatia, Poetae adhibent: quare non sunt certe laudandi nonnulli, qui copia synonymorum, opinionem eloquentiae aucupati sunt, & ea ratione in aures vulgi illabi studuerunt. Vetus nomina, etsi admirabilem magis efficiunt orationem, parcè tamen adhibenda sunt, nè affectata, dicenti opinionem minuant.

## De Metonymia &amp; synecdoche.

## Cap. X.

**M**ETONYMIA vtütur Ecclesiastici oratores; qua continēs, pro eo, quod eo loco continetur, ponitur; ut si calum pro caliculis dicamus, terram pro terrestribus; cuius est insigne exemplū propheta: Terra, terra, audi verbum Domini. Vtütur etiam interdum synecdoche; ea praesertim, qua, ex ijs, q̄ rebus accidūt, res significantur, ut illud Esaiæ: Et constabūt gladios suos in vomeres et lāceas suas in falces, hoc enim paci consequēs est. Alia schematum & troporum genera quamplurima, ab oratoribus vsurpari consueuerūt, quibus splendet & illuminatur oratio: de his omittimus dicere, quoniam ad Grammaticorum peritiam pertinent; neq; etiam Latine cum scribamus, facile esset cōmuni, qua omnes vtimur, lingua figuras & ornamenta in medium ponere. Moneo huius libri lectorem, ut Grammaticam artem valdè vtilē,